De Chirurgiâ Institutum De Suppuratione

Quæ â nobis geruntur, non ad nostram, sed ad patriæ utilitatem conferre debemus „ Cicero in Vat. „

Par M. Villiers Mᵉ ès arts et en chirurgie à Sens

Suppuratio est intima extravasati Liquidi, Cum vasorum dilaceratorum — Laciniis mixtio, trituratio ingeminatæ arteriarum Sanguinearum circumjacentium actionis effectus; eam sibi in opere Suppuratorio finem natura proponit, ut nempè — extravasato Liquido, inutili, imò, et, noxio forâs expulso Libera stagnanti per integros ductus expedita via, parte affectâ ab infarctu quocumque Liberata mox novorum vasorum evolutioni Carneorum granulorum mirabili artificio inter se nectendorum ternâ progerminationi — Sanciatæ, Contusæ, erosæ, abscessæ partis Suppuratione Consumptæ, reparatione firmæ, — Demùm, Laudabilisque Cicatricis incumbat munimento, ut res pro votis succedat plurium — Conditionum aliarum â Solidis, aliarum â fluidis repetendarum Concursu opus est; „

Requiritur enim, 1º ex parte Solidorum, ut vasis Sanguiferis Lymphaticisq. uberrimis affecta pars irroretur. vasorum, enim oscillatio, Causa est Suppurationis efficiens; Sanguis Lymphaq. ejusdem sunt Causa materialis, quò plura, igitur in Suppurandâ parte erunt vasa, utriusq. generis, eò Major erit Causæ efficientis, atque Materialis energia, eò — feliciùs Consequenter Suppuratio succedet; ut vasa Sanguifera in debito actionis gradu Constituta sint, Suppurationem absolvit vasorum pulsio; in illis, itaque, necessaria est ea — flexibilitas quâ facilè Dilatentur, Desideranda quoque ea rigiditas quâ fortiter — Contrahantur, ut plura, in parte affectâ supersit vasorum integrorum quam dilaceratorum; tunc, enim, vasorum integrorum momentum majus erit Liquidi extravasati, atque — stagnantis inertia; . . . . .

Necessarium est, 2º ex parte fluidorum, ut satis neque tamen nimis Sanguis turgeat, in parte tumefactâ, nulla, etenim, esse potest Suppuratio, quin prævia fuerit instituta inflammatio, hæc, autem, ea Debet esse quâ vasorum Sanguiferorum Motus intendatur, non ea vero, quâ idem pereat, ut Debitâ Donetur Consistentiâ, si Crassior foret actionis vasorum efficaciam eluderet, si tenuior non eam in vasis dilatationem produceret quæ fortiorem earumdem Contractionem proritare posset, ut nativis principiis Constet, ut fluat immunis quâcumq. virulentâ labe; . . . .

Cum hæc omnia Conspirant simul inflammatæ partis vasa Sanguifera integra impensius tensa vibrant vehementiùs, citoque liquidum extravasatum in mucilaginem dilacerata vasa in putrinaginem albicantem, convertunt utramque materiem intimè commiscent, fluidum mox sublentum, albicans, inodorum, æquale, boni moris, verbò, perfectissimum pus è parte liberaliter emanat, peractâ detersione nova cujuscumque generis evolvuntur vasa, optimæ indolis carnes progerminant, laudabilique uniuntur cicatrice; ——

Suppurationem in quâcumque corporis parte eodem modo processuram non arbitremini; pro variâ suppurationis sede diversâque morbi naturâ, cæteris aliundè paribus multiplex in eâ observatur, ex naturæ instituto varietas; &; ————

Primò quidem, Carnosæ partes, ut Musculosæ, Cutaneæ, sanguine limphâque luxuriant, citò, itaque, facilè copiosèque suppurant. Terminum suppurationis sæpè horrenda sæpiùs concomitantur simptomata, febris auctissima, atrocissimi dolores, spasmi, quæ omnia, quandòque subsequitur gangræna, pus fundunt cinereum, incoctum, tenue, lymphæ naturam inferens; tædiosâ, ob vasorum sanguiferorum paucitatem, maximamque fibrarum inter se cohæsionem fruuntur detersione, ideò, quod absque præviâ eorumdem explicatione lentâ admodùm non absolvi possit; —

Membranæ nerveæ, ut membranæ musculorum, periosteum, cum in suppuratum abeunt eadem, ac tendines simptomata aversantium; pus ex illis prodit paucum, et pro diversâ ejus materie diversum, prægnant vasa lymphatica pus albicans, tenue, atque viscosum; si hanc nervorum trunci suppeditent dilutum, lymphaticum, ichorosum observatur, si quid à vasis sanguiferis paucissimis equidem, sed tenuissimè facilèque diffundendo cruore repletis mutuetur, fuscum, subrubrum, saniosum emerget; cum ligamentorum contextus sint nervearum, tendinearumq. fibrarum, cum vasis sanguiferis paucissimis, lymphaticisque quam plurimis irrorentur, in eorum eadem, ac in tendinearum, nervearumque partium suppuratorio opere sævienda mala manifestum est; pus promunt ob sinoviæ ex ligamentis vaginis tendinum atque perichondriis depluentis miscelam inæqualem, horum ob continuum succorum limphaticorum huc affluxum detersio difficillima, tarda cicatrix, dubia sanatio; —

Textûs Cellularis eâ naturâ quâ mollis admodùm vasis sanguiferis paucioribus lymphaticis quam plurimis, mutuâ, cellularum succo pingui, oleoso, repletarum conflatus appositione, ægrè in suppuratum abit, faciliùs gangrænam suscipit, cum suppurat pus præbet lentum ac glutinosum, difficilè detergitur, carnes promit molles, cellulosas, liquidorum appellentium impulsu faciliùs dilatabiles; citiùs idcircò pullulant, ideòque nimis luxuriant, ac tandem cicatricem formant mollem, atque difformem; —

Simili de causâ, ob nempè nativam substantiæ flaxiditatem, vasorum sanguiferorum inertiam, atque penuriam, contentique liquidi crassitiem, eadem, in suppurationis opere ac textûs cellularis fata, et eventus subit eosdem, cerebrum; illud, enim, facilè sideratur rarò difficillimèque suppurat, ægrè admodùm detergitur; - - - - - -

Glandulæ, tum simplices, tum compositæ, seu, ut aiunt, Malpighyani, conglobatæ et, conglomeratæ, glomeriformis structurâ donari Ruisch. experimentis compertum est; vasorum equidem, multifariam inflexorum atq. evolutorum aggerie constantur, sanguine pauco admodùm, copiosâ lymphâ tardi gradû facilè concrescibili irrorantur; quâcumq. idcircò causâ infarciantur, atq. tumeant, facilè induvescunt, si inflammatæ suppurent pus præbent spissum atque vix tenax, ulceris ora, callosam sæpiùs duritiemque contrahunt, carnes efflorescunt, difficilis, tarda semper, inæqualisq. eadem cicatrix; —

Quandóque evenit ut ossa ipsamet vel partium adjacentium vitio abrasa in suppurationis consortium trahantur, vel quasi inflammata in liquamen purulentum convertantur, ut in spinâ ventosâ videre est, vitium illud in ossibus caries nuncupatur; acutissimi in ejus processu sed, præprimis atrocissimi in spinâ ventosâ dolores excruciant, pus paucum forsan nullum est, propria ossis substantia emergit; sed ob hûc undequáque depluentium succorum lymphaticorum, cum suppuratis, aut, abrasis ossium moléculis miscela, é parte affectâ sordes tenuis puris æmula coloris cinerei liberaliter emanat; — — — —

Secundó, diversa quoque spectanda suppuratio pro diversâ morbi indole; — — — — — —

in phlegmone, seu sanguis plurimúm rarescit, majori pollet consistentiâ, ultimos ideó partis affectæ arteriarum ramulos permeat difficilé; hi fortiús distenti contrahuntur vehementiús hinc intenditur maximo opere suppurationis causa efficiens laudabiliter idcircó procedit suppuratorio motu, pars facilé detergitur, ubertim boni moris carnes efflorescunt, citó solida contexitur cicatrix; — — — — — — — — — — — — — —

in erésipelate sanguis tenuior est, penetrantior, atque fervidior, acri, vitiosâque saburrâ contaminatur, in arteriis non sanguiferis, sed lymphaticis morbi sedes constituta est; hæc, texturâ, tenuiore, vel nimio sanguinis impetu dilacerantur, vel acrimoniâ roduntur, hinc inauspicatæ superveniunt suppurationes; pus manat copiosum, subflavum, dilutum, quandóque fervore, et, acredine partem depascens, difficillima est detersio; — tantus quandóque fit vasorum strangulatus, ut motus in parte pereat atq. gangrœna invadat, sin minús carnes lenté ac inæqualiter convolvuntur; tardé idcircó, difficilé vitiosêque cicatrix peragitur. — — — — — —

in œdemate sanguis crassus, atque fæculentus est, per vasa partis affectæ tardo motu progreditur, hæc seroso latice imbuta, atque laxata moventur segniús; — si vasorum dilaceratio supervenerit, liquidum manabit copiosum, dilutissimum, ceræ potiús quam puris qualitatibus præditum, facillima erit in hisce casibus invasio gangrænæ; si non supervenerit, carnes fiunt molles, fungosæ, facilé dilacerabiles, cicatricis conformationi ineptæ; hinc ulceris diuturnitas, hæc omnia frequentiús in ulceribus hydropicorum observantur. — — — — — — — — —

schirrosam partem sanguis permeat difficilé, stagnans lympha, si præsertim glandulam occupet, in dies itá crescit, ut quasi lapideam tandem duritiem tumor adipiscatur, tunc si neque mole, neque situ, sanguinis circuitum impediat, diu imó toto vitæ curriculo absque — ullâ notabili functionis læsione, quasi à cæterarum partium communicatione separatus pertinaciter subsistit; verúm accidit sæpissimé, ut conditionum recensitarum defectu, pars schirrosa inflammata in suppurationem vertatur; si in glandulâ schirrus sedeat, si lympha morbi materies omnem fluiditatem non amiserit, si sanguis eâ naturâ inditis qualitatibus polleat, ea schirrosus tumor fata subiet, suppurationis quæ glandulis contingere suprà diximus; si veró lympha glandulam quamdam infarciens, ad maximum concretionis, duritieique gradum pervenerit, si sanguis ipsemet peccet discrasiâ salsuginosâ, si lympha similiter salsa quasi in grumos cogatur, in dies serpet, ac extendatur morbi labes, glandulæ suppuratæ, atque apertæ labra crassiori succo irrigata indurabuntur, livescens, exsudans, spissum, tenax, fœtens, ac inæquale tabum carnes depascetur, ulcus excavabitur, vasorum sanguiferorum innervos tensissimos, atque in naphaceam tumoris materiem arctatione acutissimus;

Doloris Lanciniantis excitabitur eorumd. erosione, Subitæ atque metuendæ Super-
venient hemorrhagiæ, ulcus tandem Cacoëtheum Visu horrendum, Cruciatibus immane
eventu formidabile, Solâ extirpatione, si fata Sinant, medicabile, Verbó, Nascetur
carcinoma; Sæpissimé prodeunt Schirrhi mitioris indolis, horum materies Sæpé
Lymphatica, Sæpiús adiposa est, Sedent quandóque in Lymphaticis, Sæpissimé in
textu Cellulari; Varia, Ratione figuræ, et ratione Loci quem obsident Sortiuntur nomina;
hinc, Testudo, Talpa, Ganglion, Strumæ dicuntur, Continuo Seu Lymphæ, Seu, adiposæ
materiæ appulsu, itá Vasorum, aut Cellularum parietes dicuntur, ut alterutri distensioni
impares dilacerentur, Liquidum, tunc, extrá proprios Limites Sensím ac Sine Sensu
Congeritur: tanta quoque, quandóque fit humoris Congestio, ac ideó Salvo, nativo Cutis
Colore, hisce Tumores increscunt, ut Librarum plurium pondus adæquent; Vasa —
Lymphatica Tumoris Superficiei ubicúmque adjacentia illiús mole in dies magis
ac, magís Compressa partim tandem oblitterantur, partím uná Cum Concreto quem
Continent Succo Lymphatico in Corpus firmum, ac Densum immutatur, Sicque
tunica, Cystidem, vel, folliculum efformant, quibus tota tumoris moles obvestit.ur Coërcetur;
interim extravasatum Liquidum musculorum Circumjacentium actione arteriarum
vicinarum ingeminato motu Clám absque turbâ Conquassatâ in fluidum Vertitur
Lentum, Spissum, Tenax, pro Cujus vario Colore, diversâque Consistentiâ, tumoribus
varia adscribuntur nomina; hinc atheroma, Steatoma, Meliceris ex liquami-
nibus Colore atque Consistentiâ denominantur; - - - - - - - - - -
ignis, aut Corpora ejus effectus æmulantia, ut Cauteria, Desicantia, globuli —
plumbei ignitis instrumentis Bellicis impulsi partium Suprá quas vires exerunt
vascula delent, ac prætermodúm exsiccant, Liquida partem irrorantia incrassam
Cogunt, Calore Concentrant, atque uná Cum vasculis in Comminutam atque —
Siccam molem Convertunt, hinc fit, ut auro attactum escarra Constanter Subse-
quatur, illiús Cum partibus Sanis Vincula Sensím ac Sine Sensu Reserant
Continuus Liquidorum appulsus, indesinensque integrorum vasorum actio, undé —
Successu Temporis penitús expedita prolabitur, tunc in conspectum prodit Suppurat.o,
quâcumque aliâ Suppuratione Cæteris paribus molestior, Sæpiúsque ob inductam —
ignito Corpore vasis rigiditatem insigni fervore molestissima, pus Copiosum emanat,
ast præsertím primis diebus ob, superstitum Scarrhæ molecularum Cum eo, foetens
miscelam, ac inæquale ulcus mox detergitur, Cicatricque Citiús, aut, tardiús obducitur
pro majori, aut, minori morbi magnitudine, proque diversâ tum Liquidorum, tum —
Solidorum dispositione eó usque Sæpissimé Crematæ partis vasa destruuntur, ut Vis
vitæ in eâ omninó Sufflaminetur, gravisque gangræna Succedat, - - - - ——
is est, frigoris effectus, ut eó partes Solidæ rigescant, liquida Concrescant, Si pars
itaque, ad Corporis gelu Corripiatur, in eá fit Stasis dimovenda liquidorum Concretorū
Solidaque Crispata omni, motu orbantur; Verbó, quidquid est adustum gelu, mortuum
Consentiendum est et defacto Statím atque partium adjacentium motu, atque Calore
aut Medendis industriâ, quædam Concreto Liquido Conciliatur fluiditas, Livet pars
emollitur, putrescit, atque in gluten Cadaverosum colliquescit, motus Languet in Vasis
integris parca idcircó atque tædiosa Suppuratio inducitur, pars difficilé admodúm —
detergitur, tardissimaque Semper est Cicatricis generatio; - - - - - ——

Evenit sæpissimé maximâ Causæ intensitate, ut pars medullitùs extincta scitissimé — sita, cæteris amputatione sejungenda; - - - -

Suppurationis varietates ex diversâ partium suppurantium fabricâ, atque ex variâ morbi indole repetendas huc usque delineavi; núm ejusdem vitia ex pravâ, aut solidorum aut fluidorum dispositione, aut ex Medentis artificio erroribus deducenda adumbrare licet.

Primó, suppurationi obstant vasa à naturali statu, quâcumque Causâ notabiliter dimota, v.g. si nimio sanguine turgeant, ut in plethoricis, debiliter moventur, liquido pars suppuratura gravatur, vis vitæ extinguitur, præceps imminet, urgetque gangrena; si in suppurationis decursu, rerum non naturalium abusu æstuet, aut rarescat sanguis, vasa nimium distensa sæpiús moventur, languescit suppuratio, et si Causa paulò intentior supprimitur, partis affectæ supervenit sideratio; ——

Si vasa exinanita sint, deficiet suppurationis materies, languescet motus ejusdem artifex; — ideó nullatenús, aut vix suppurant vulnera quæ sanguinem pressione suctâ liberaliter profuderunt; ideó tædiosé admodúm ægré suppurant tumores critici quibus sæpé aucti morbi indicantur.

Si vires morbi diuturnitate, aut pluries repetitis venæ sectionibus maximopere exhaustæ — fuerint, ideó subitó superveniente hemorrhagiâ, suppuratio multúm imminuitur, quandoque — extinguitur, ideó variolis suppurantibus inconsultó, et absque necessitate celebrata lethalis venæ sectio;

Si vasa sicca nimium, aut frigidiora sint appellentibus liquidis parúm obsequiosa vix dilatabuntur, levissimo sese momento contrahent difficilé, ideó, tardéque suppuratio perficietur — pus generabitur parum, tenax admodúm, ac inæquale, quæ omnia ita se habere in ætate provectis quotidiana testatur experientia; - - -

Si eadem vasa nimiâ flacciditate donentur appulsu liquidorum faciliùs distenta, tandem dilacerabuntur, pus proment tenue, serosum, sæpiùs ichorosum, quandoque saniosum; — detersio, atque dilacerata cicatrisatio tardé, ac difficilé peragentur, hæc observantur in — cachecticis, in hydropicis, in infantibus, atque in mulieribus debilioris humiliorisq. texturæ;

Sæpé fit, ut vel illato solidis vehementi stimulo, vel vividioribus mente commotâ pathematibus fortiores proririentur vasorum oscillationes acutissimaque febris accendatur; pars, tunc, suppuratura, intensiús inflammatur, vasorum succedunt crispaturæ; pars liquidis obruta suppurationis impotens extinguitur, sideratur, si in suppuratorio ejusdem decursu recensitæ conditiones prodeant, suppurationis materies alió divertitur, ulceris ora inflammata exsiccantur, indurescant, livent, ægros inauspicatæ exagitant horriculationes, subitaneæ metastases fiunt, quæ proximam mortem sæpé sæpiús pronunciant; hæc omnia in Nosocomiis ciborum inconsultó, aut liquorum fermentatorum usu frequentiús contingere, observatur; —

Secundó, multiplici modo fluidorum discrasia depravatur suppuratio, huic nocent eorum inspissatio nimia, eorumdem dissolutio nimia, si crassiora lenté circulationis vias percurrunt, raras obtinent vasorum contractiones, subigenda puris materies spissior est, Causa subigens inertior, ægré idcircó ac tardé pus paratur, proditque paucum, tenax ulceris labra callosa fiunt, detersio difficillima, difficillima quoque est cicatricis ferruminaõ

Si tenuiora levissimo nisu vasorum diducunt parietes, vasa idcircó debilissimo sese momento contrahunt vasa sanguifera, cruor faciliús permeat, prout locus inflammaõis sit, sine quâ nulla suppuratio. in tali igitur liquidorum constitutione, ægré admodum pars, aut vulnerata, aut tumefacta suppurat, pus nunquam manat laudabile, — stillat tenax, atq. ichorosum, carnes fungosæ luxuriant, cicatrice ulcus tardé obducitur; —

Vitiabitur Suppuratio, si Sanguis nativis principiis orbatur, qualitates contraxerit perversas, si partes Balsamicas amiserit, pus acre Suppeditabit, Corrodensque ulcus faetidum, mali moris, Saniosum, in dies Serpens illabitur, atque profundum, atque eó usque procrastinabitur ejus Curatio, Donec fluida quo Carent Balsamo ditescent; si principiis activis, atq. Spirituosis Sanguis exutus, Crassus, effaetus, atque faeculentus sit, ut in aetate provectis Contigitur, pus funditus paucum, Spissum, ac inaequale, ulceris orae Callosae Varicosa exhibent vasa, Sanatio, si quae sit, Difficilé, ac tardé obtinetur; — — — — — —

Variâ Lue Sanguis infici potest, omnes notabili Suppurationi aversantur, atque ulceris Sanationi perfectae obstant, donec Specifico debellatae fuerint; in Lue Venereá pus flavum manet, viride, initio, aequé ac in aliâ quâcumque Suppuratione Copiosum, Verúm primis elapsis Temporibus, ulcus Sensim ac sine Sensu arescit, ejus labra indurantur, lymphae Concretionibus, vasa turgent Lymphatica, tumentq. Sanguifera Comprimuntur; — hinc fit ut ulcera nec detergi, nec Carnibus oppleri, nec Cicatrice muniri queant, si quandóque Carnes progerminare Contigent, molles, flaccidae, inaequales pullulant, — Cicatricemque tenuem efformant, mollem, dilacerabilem, inaequalem quâ pars deturpatur,

in Scorbuto Sanguis mucilaginosis, atque Spirituosis partibus orbatus, Crassus, iners, atque faeculentus est, nullum est, énim, variis quibus Conflatur principiis, quod nativam retineat indólem; etenim pars fibrosa, ramosa est Crassa admodum, atq. terrestris, globuli purpurei in acervos Compinguntur; Verum in quo partes illae innatant, quo Luxuriat Sale muriatico, mordacissimum est, si in Constitutione tali, Suppuratio Supervenerit, acri Sero vasa imbuta erodentur; — — — —

Sanguinem Crassum, Subnigrumq. nuctabunt, Reddentque; fibrosa pars, ut poté Crassior, in vasorum extremitatibus, eó faciliús immorabuntur, quod haec madida Sero tantúm inertiae Conceperit, ut non modó ea sese possint expedire, quin etiam in dies, magis ac magis infarcientur, atq. tandem diuturniore morâ, unâ Cum liquidó putrescent; hinc fit, ut haec ulcera Serpant, excaventur, Liveant, puoque promant tenue, Saniosum, Subnigrum, inaequale, faetens, partem depascens; hinc fit etiam, ut Carnes ob maximam vasorum laxitatem, facilé pullulent, faciléque vel Levissimâ Compressione, aut levissimo frictu destruantur; hinc fit, tandem, ut neque detersio neque Cicatrisatio possint absolvi, quin prius accommodata morbo therapeia, nativam Sanguis diathesin recuperaverit, omneque Scorbuticum fermentum deposuerit; — — — — —

in Temperie Scrophulosâ, Solida, ob Levissimum fibrarum inter se nexum, mollia ac debilia Sunt, Sanguis Spissus, ac viscosus est, Lympha grumis est referta, eó Densitatis atque duritiei gradu donatis, qui vi vitali Solâ deleri nequeat; in hâc Solidorum, atque fluidorum dispositione, eó faciliús Lymphatica vasa obstruuntur, tumores enascuntur, vasaq. ultrá tonum distenta dilacerabuntur; quod iisce producendis effectibus, unâ Conspirent — Solidorum debilitas, atque fluidorum Crasis; quae dúm paratur Suppuratio, Laudabilis initió, omnibusq. numeris absoluta observatur; Verúm Successu temporis aucto, grumosis Lymphae moleculis vasorum infarctu, effusâ exhaustâque ejusdem Serosâ parte, extrema Lymphaticorum indurantur, ulcus fit Callosum, tumet, Suppuratio multúm minuitur, infarctus tumores Circumquáque enascuntur, morbus in dies ingravescit, Cuniculis Sinus Suboriuntur, impossibiles fiunt ulceris detersio, atque Cicatrisatio, si quidém ferro tentaveritis, malum exasperabitur, meliora Cauterio obtinebitis; — — — —

Tertio, varios quibus ex parte Medentium Suppuratio depravari potest errores recensere longius profectò foret præcipuos idcircò indicatio sufficiet; - - - - - - - -

1°. Suppurationi plurimùm nocebit, imò sæpè periculosis simptomatibus ansam præbebit, qui in topicorum administratione consuetudini magis quam necessitati, atque rationi consulet, – obstabit suppurationi, si diutiùs, atque pertinaciùs in resolventium usu immoretur; si dùm partis affectæ vasa ex naturâ suâ mollia, ac debilia sunt laxantibus, si dum rigidiora spirituosis tonicis, si dum crispata stimulantibus, si dum infarcta obturantibus utatur, futura suppuratio hâcce pravâ therapeiâ cohibebitur, inchoata imminuetur, supprimetur, et nisi methodica curatio quam citissimè instituatur, partem gangrena corripiet; –

2°. Si frequentiùs pars morbosa aeri exponatur, spirituosi quibus ulceris superficies emollitur halitus avolant; carnes progerminantes exsiccat aër, si calidus, easdem crispat, si densus ac frigidus sit; hinc fit ut dum tuendo parvis morbosæ pejori minùs consulitur, necessaria, tùm parti resarciendæ, tùm cicatrici efformandæ pereat staminum ductilitas, utque ulcus tardâ pravâque cicatrice obducatur; - - - - - - - –

3°. ulceris sanationi obstat ejusdem detersio nimia; sunt quos juvat aquis mineralibus aut decoctis detergentibus dictis partem morbosam sæpiùs abluere; hâc methodo vasa emolliuntur, quam plurimùm carnes molles, atque fungosæ pullulant; sunt quibus adèo ulceris munditiers arridet, ut pulpam mucilaginosam quâ ejus superficies obducitur inconsideratiùs abradant; hâc arte, quæ promit natura carnium, ac cicatricis lineamenta destruunt, malum exasperant, ac procrastinant; - - - –

4°. Quidam, malorum quæ ex nimiâ detersione emanent generari, aut multorum – periculo edocti, eam adèo pertimescunt, ut in contrarium vitium trahantur, sicque – incidant in Scyllam cupientes vitare Charybdim, adèo verum est, ne quid nimis, pure adhærescente, unguentique reliquiis ulceris superficiem detergere negligunt; hinc fit, ut, morâ, atque calore pus acriùs factum pullulantes carnes depascatur, dùm unguentorum spuritie ostia vasorum ulceris oras irrigantium, obturantur; nil mirum itaque, quod ulcus tunc temporis excavetur, atque illius labra indurentur; - - - –

5°. Tandem, quam plurimis solemne est partes suppurantes fortiùs constringere qui in illis enascuntur sinus, cunicullos, linteis chartis digestivo quodam obductis opplere nimiùm ac dilatare; in utroque casu vasa sanguifera compressa debiliùs micant cohibetur liquorum per venam reditus, liquido pars gravatur, tumet, inflammatur, suppuratio extinguitur, sicque compressio sit intensior, aut diutiùs perseveret motus partis perit, succeditque gangræna; - - - - - - - - –

Ex dictis huc usque intelligitur, atq. colligitur; 1°. Causam suppurationis efficientem esse ingeminatam vasorum sanguiferorum actionem, causam ejusdem materialem esse liquidum è vasis effluxum; 2°. Quo majori vasorum sanguiferorum numero pars quædam donatur, eò faciliùs cæteris paribus suppurare; 3°. Cum varia sit diversarum corporis partium structura, quarum aliæ majori, aliæ minori, tum sanguiferorum, tùm – lymphaticorum vasorum numero irrigantur, diversimodè in variis partibus suppurationem processuram; 4°. ut fiat suppuratio, requirit vasorum dilacerationem – liquidi è vasis effluxum, tandem quæ operi sufficiat, vasorum integrorum actionem;

5° Nullam esse Suppurationem absque præviâ inflammatione; 6° Suppurationem esse naturæ motum, quo fluidum extravasati inutile, ac noxium foras expellat, ut mox reseratis quibuscumque obicibus, et Substantiam Consumptam resarcire, atque Cicatricem Contexere queat; 7° Suppurationis imbecillitatem maximam, aut ejusdem defectum Siderationem præsagire; – – – –

Patet etiam ex dictis varianda medicamenta Suppurantia, pro diversâ partium Suppurantium Naturâ, proque Suppurationum depravationis Diversitate; –

1° Partibus Carnosis, si inflammatio levis, pinguia obturantia, si verò intensa sit educunt emollientia; hæc in phlegmonibus experientia quotidiana Confirmat; –

2° Partibus nerveis, tendineis, Ligamentosis, et similibus, Balsamica anodinis Commixta, feliciter accommodantur; – – –

3° partibus glandulosis Suppurantibus prosunt topica, quæ Succos Lymphaticos Spissiores Liquant, atq. hebetiores vasorum motus intendunt, ut Saponacea, Gummosa;

4° in Suppuratione ereisipelatodeâ, à pinguibus, atque oleosis abstinendum est remediis Resolventia, Saponacea, Spirituosa Commendantur ab authoribus Remedia, atque utilitatem eorum testatur experientia; – – –

5° in Suppuratione phlegmonodeâ, si Materia stagnans iners sit, Sanguiferaque Langueant vasa, stimulantia Spirituosis, atque tonicis Conjuncta juvare Ratio, atque observatio Demonstrant; – – –

6° Si nimia vasorum plenitudo Suppurationi obstet, Dieta tenuis, atque venæ Sectio prosunt, si eandem Cohibeat Sanguis fervidior, atque nimium rarefactus, Sectione venæ, diluentibus, atque refrigerantibus restituitur, si vasorum inanitione fatiscat, Succis euchymis restaurantibus, Cardiacis exsuscitatur; – – –

7° Si nimiâ vasorum Rigiditate depravetur, Emollientibus anodinis, si eorum Convulsione, Crispaturâ, anodinis, si tandem flacciditate eorum, inertiâq. Languescat tonicis opus est stimulantib.

8° Si vitietur Suppuratio, nimiâ Sanguinis Consistentiâ, intus diluentia, leviter attenuantia, extus, Resolventia, Saponacea, aut gummosa sunt adhibenda. Si peccet nimiâ ejusdem Dissolutione, victu incrassante topicis pinguibus utendum est; – – –

9° Si Turgente Cacochimiâ Suppuratio depravetur, alterantibus diluenda, purgantibus eliminanda, si prædominante Sero vitietur, ut in hydropicis, Cachecticis, Contingit intus diureticis, Diaphoreticis, Sudoriferis, Catharticis; extus exsiccantibus utamini; Si Balsamicarum, gelatinosarumque partium defectu Sanguis acrior Suppurationem pervertat, victu demulcente, Lacte, farinaceis quæ Desunt in Sanguine restituentur partes, Salsa illius Saburra irritietur, moxq. votis Satisfaciet Suppuratio; Lac vaccinum, si Demulcendum atque nutriendum sit, Lac Caprinum, si Demulcendi, atque detergendi sit necessitas; Tandem, Lac asininum, Caballinum, aut fæmininum præscribite, si Demulcentem, refrigerantem, atque Laxantem Diætam ægrotis expostulet Constitutio; – – –

10° Si vitium in Suppuratione prodeat, quod therapeia Communis actionem eluserit, illud occultâ Labe viru quodam foveri meritò Conjicitur; veneni quo Sanguis Coinquinatur, natura tunc Diligenter inquirenda; – – –

hæc, accuratâ Simptomatum Cuilibet Virui essentialium observatione innotescent, Si Labe Scorbuticâ Sanguinis Constitutio præstatur; ‒ ‒ ‒ ‒ ‒ ‒ ‒

Primó; fibrosa Sanguinis pars Crassior, atque fæculenta ad Crasim nativam adducenda; id obtinebitur, usu Medicamentorum quæ Carpendi, Comminuendique Virtute polleant; huic pertinent Nasturtium aquæ, Oxytriphillum, Cochlearia, Becabunga, Radix Raphani Silvestris, Semen Sinapi, Sal ammoniacum, et Similia ex quibus, vel Succi expressi, exhibentur, Vel, Juscula, Vel, Vina, aut, Decocta parantur; ‒ ‒ ‒ ‒

Secundo; Sublato partis fibrosæ Vitio principia quæ in Sanguine Desunt, gelatinosa atque Balsamica, Convenienti Diætâ Restituenda, prædominansque involvenda Saburra; utrumque Lac præstabit effectum; ‒ ‒ ‒ ‒ ‒ ‒ ‒

Si Labes Venerea in Sanguinem irrepserit, Lymphaque manifesta quâ pollet facultate Coagulandi in grumos Cogerit eo utendum erit Medicamento, quod, Si Vitæ, in extremos Vasorum Recessus protusum, id mobilitatis, atque Velocitatis retineat, Quod grumis Lymphaticis Comminuendis infarctibus reserandis Sufficiat Mercurium mirabiles posse effectus producere Ratio Suadet, experientia Confirmat; ‒

Si, Tandem, Sit Vitium Scrophulosum Suspicandi Locus, eó potissimum Collimandum, ut nativa Lymphæ fluiditas Concilietur; atque in Majori Rigiditatis gradu Vasa Constituantur, hæc obtinere difficillimum esse quotidiana Demonstrat experientia; ‒ Quam plurima ab authoribus tanquam Specifica Laudantur medicamenta quæ, infida experta, agnoscuntur; inter Decantata huic morbo extirpando medicamenta primas tenet pulvis Liquans De Rotrou; hinc Tamen Ventriculo, intestinis, nervisque ‒ infensum Crediderim, Certioraque meo Judicio, atque meliora præstabit hydrargirus parvâ Dosi, Sed per plures menses exhibitus; ‒ ‒ ‒ ‒

Si præsertim, ejus actio, potu, lac, Balneo aquarum Baregiensium, aut Similium remediorum Saponaceorum intendatur, ea est, enim, thermarum harumce proprietas ut Lymphæ grumos, glandularum infarctus quoscumque, Verbó, Lymphaticos ‒ obices menstrui ad instar penetrent Viam, parent hydrargiro, atque omnes impleant Conditiones, quæ possint Medicamenti hujusce actioni favere; ‒ ‒

Æquo animo accipite, Proceres Academici, hunc De Suppuratione Tractatum, quem tholis Vestris appendit

Addictissimus, et, obsequentissimus *.*.*.
artium Chirurgiæque Magister. //

No III 31.